



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Bibliopolæ ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



Bibliopolæ ad Lectorem.

Ne succenseas nobis, amice Lector, quod in tanta, quæ nostram Germaniam aluit, colluvie librorum adhuc unum ex Galliis advocemus, eumque veteranum, jam uno abhinc elucubratum sæculo. Homini siquidem Patrifamilias, qui de thesauro suo nova, & vetera profert, Bibliopolam assimilari haud ignorabis. Casuistas novos nostro ex Typographæo orbi literato plures obtulimus; ut jam tibi & hunc antiquum sisteremus, non una, sed plures, nos permovere rationes.

Movit imprimis magnum Auctoris nomen, quod non minus rara vivendi methodo, quam eruditis suis libris ipse sibi peperit. Hic quippe in oppido Dreuxiensi honestis admodum oriundus natalibus, Parisiis scientias didicit,

Bibliopolæ

utque Regia munificentia ibidem Academia fundaretur, primus, ac præcipuus Auctor fuit. Ob eximia Poeseos, artisque oratoriæ specimina apud Cardinalem Richelium summo in pretio fuit, ad cuius instantiam anno 1636. Episcopatum prius Grinnicensem, tum Venciensem obtinuit. Generalibus Cleri Gallicani Comitibus an. 1645, & 1656. interfuit, ubi cum aliis Galliæ Præsulibus contra pudenda laxioris Moralis deliramenta sententiam dixit. Sancti Caroli Borromæi instructiones edi, & per Dioeceses distrahi fecit, ut Clerici rectam, juxta quam agerent, formam haberent. Frequentibus Dioeceseos visitationibus, ad populum concionibus, aliisque veri Episcopi functionibus jugiter erat intentus. Pastoralis sollicitudinis munera non ita eum distinuere, quin plures præclaros libros gallice scriberet. Hos inter utriusque Testamenti historia eminent, curis nostris germanice reddita, quam omnes veræ literaturæ æstimatorum commendant. Huic Paraphrases in Apostolorum Epistolas, novi testamenti versio, piæ in sancti Pauli ad Hebræos Epistolam

ad Lectorem.

lam meditationes, in totius anni Dóminicas & Festa Homiliæ, Sanctorum præprimis Episcoporum elogias, aliique parvi de Missionibus, & Seminariis &c. Tractatus, ac Instructiones synodales accessere, sicut & libellus de vocatione Clericorum, quem latinitate donatum tempore opportuno typis vulgabimus. Singula ista opera sublimem Godeau spiritum fat, superque produnt, mutique ceu oratores ejusdem laudes deprædicant.

Nos quoque ipsius operis præstantia movit. Hic quippe liber non vacuum humanæ sapientiæ corticem, sed divinorum Eloquiorum nucleum, Patrum, ac Conciliorum succum complectitur, quibus recreatus, ac illustratus Lector non modo ad alienos, sed suos cum primis mores reformandos mirum in modum exstimulatur. Judicium hoc non est nostrum; sed virorum de re literaria optime meritorum concors effatum. Animo a præjudiciis repurgato librum hunc volve, & eisdem lubens subscribes.

Bibliopolæ

Tandem movit ingens desiderium multorum, qui novos Scholasticos, eorumque philosophandi modum stomachantur; qui vivaci zelo pro antiquitate decertant, nec nisi famosos, annosos, probatos, communique applausu coronatos Moralistas sua lectione honorant, suisque collocant in Bibliothecis. Nobiles istæ notæ omnes præsentî in libro adunatæ inveniuntur. Præterquam quod famosissimum Præsulem parentem habeat, paucas admodum divisiones, nullas omnino subtiles vanitates, sed limpidissimos sanioris moralis fontes ex evangelicæ simplicitatis scaturigine manantes ad summam degustantium voluptatem exhibet. Dogmata & Canones Auctor sapientissimus parum, aut obiter attigit, quia non Dogmaticos, non Canonistas; sed bonos practicos, ac zelosos Confessarios formare pro scopo habuit,

Ut tamen nova & vetera simul lectori benevolo propinarem, huncque librum publicis quodammodo prælectionibus aptarem, Theologicas quasdam subnecti notas curavimus.

ad Lectorem.

mus, quibus & majus lumen affunderetur textui, & quorundam satisfaceret gustui, quidam unum Auctorem legunt, alios pariter nosse affectant. Nonnulla insuper adjici textui fecimus, atque ordinem mutari, ut liber, quem Auctor morte præventus ad limam sumere, plene coordinare, ac perficere non potuit, quamdam posthumam acquireret perfectionem. Majori legentium commoditati inservire volentes librum duas in Partes distinximus, quarum *Prima* Tractatus de Fontibus Moralis Theologiæ, de Principiis; de peccatis, de legibus, de summario dilectionis præcepto: de præceptis primæ Tabulæ: *Altera* residuos de præceptis secundæ tabulæ, de præceptis Ecclesiæ, nec non de Sacramentis Tractatus contineat. Utilissimo itaque isthoc labore utere, fave, & vale.

